Coroll. 2. Quum positione radii *LM* haud mutata nec α nec β neque etiam *QM* varientur, punctum *F* est punctum dispersus radiorum omnium in plano refractionis *CLM* radio *LM* proxime incidentium, inque transitu plani *AB* refractorum. Ac si *LM* sit medius radiorum incidentium, ad quem vterque extremorum angulo ψ inclinetur, angulus, quem medius radiorum refractorum et vteruis extremorum includunt, erit $= \frac{\psi \cos \alpha}{n \cos \beta}$.

Coroll. 3. Quodsi radii non, ficuti hîc positum est, ex medio rariori in densius, verum ex densiore in rarius transeant, in praecedentibus loco ipsius n vbique substituendum venit $\frac{1}{n}$, quoniam ratio refractionis tunc est $= 1 : n = \frac{1}{n} : 1$. In hoc igitur casu fit $\alpha < \beta$ et $FM < QM$ i. e. punctum dispersus radiorum refractorum cadit citra *Q*.

3.

Fig. 2. *Problem. II.* Referat iterum *AB* intersectionem plani alicuius et plani diagrammatis ad illud perpendicularis, intelligaturque *GH* in plano per *AB* repraesentato perpendicularis ad *AB*, ideoque et ad planum diagrammatis. Ex puncto radiante *L* incidat in plano figurae radius *LM* in *AB* refringaturque secundum $M\mu$; in plano *LMH* autem incidat in *GH* radius *LK*, priori *LM* valde propinquus, refringaturque secundum $K\kappa$. Quaeritur punctum concursus radii refracti $K\kappa$ et perpendiculi *LC*.

Occurrat radius $M\mu$ productus rectae *LC* in *Q*. Quoniam igitur angulus *KCM* minimus est, *CK* et *CM* differunt tantummodo quantitate secundi ordinis, quare est proxime $CK = CM$,

et